

rum verberatione per diem quassasse ; & adhuc propugnatores intrepide se tueri. Eo nuntio commotus , quod tantum ausos Epidaurios cognovisset , ut armatis navigiis , absque ejus permisso in Adriaticum exiissent , statim eo se conferre decrevit , auctoritate ac praesentia ratus fore , ut a coeptis desisterent , atque interim , quae mens publica sit , intelligere posset . Perfectis in Senatu Paschalici literis , in eadem sententia , minime Agustanos recipiendos esse , Patres persistere ; satius atque aequius arbitrati , ut , si qua inveniri posset , eorum cum Epidauriis conciliandi ratio iniretur . Itaque legato præceptum , ut Agustanos homines , quos apud se habeat , solatus , eorum incolumenti perspecturum Senatum affirmet : interim sibi persuadeant , hoc rerum statu nihil eis tutius fore , quam si in gratiam cum Epidauriis redeant ; in id omnem operam , studium , auctoritatem adhibitum , atque ut satis iis fiat , curaturum polliceatur : aliquem vero ex suis Epidaurum mittat , vel ( si ita sibi videatur ) ipse cum duabus triremibus in Sanctæ Crucis portum profectus , significet , moleste tulisse , quod adversus edictum armato navigio in Adriatici sinus loca penetraffsent ; quod , publica quiete perturbata , arma in ditionum Reipublicæ visceribus tractassent : Senatus nomine hortetur , quæ justa sint , in Agustanos decernant ; aequis gentis postulatis satisfaciant ; non sine eorum gravi periculo exortos tumultus comprimi quamprimum curent ; eo loco res esse , ut ni cito caveant , gravia pericula subituri videantur : de re communi , de privato eorum commodo agi : ne diutius efferi eos motus sinant , aliquid Reipublicæ tribuant , sibique ipsis recte consulant . Hæc summa literarum erat . Verum de eventu dum Patres solicii , quid jussus Paschalicus effecerit , expectant , aliæ ab eo literæ perferuntur : discessum paranti renuntiatum fuisse , primo Epidauriorum appulsi Agustanos ad portum descendisse , arcis claves detulisse , tresque ad eos legatos mississe . At dum itineri se committit , ut rerum exitus e propinquo speculetur , tres ad eum oratores ab Epidauriis accedunt : cum armatis navigiis in sinum Adriaticum egressum excusant , quæque egerint , necessitate compulsos ad rebelles obterendos egisse testantur . Eos legatus gravibus allocutus verbis , quod adversus

Senatus  
mandata  
ad Paschal-  
licum lega-  
tum.

Epidau-  
riorum ora-  
tores ad  
Paschali-  
cum.